

dicare; non videtur in largitione eius lethale crimen admilceri.

Aſſertio 8. Peccare lethaliſſime accipientem, licet ſit non obligari ad reſtitutionem.

41 Dico octauo. Etiamſi ponamus accipientem donum Religioſi, non eſſe obligatum ad reſtitutionem, peccat tamen mortaliter, illud recipiendo. Sic Corduba, Silveſter, & Nauarrus, quos adducit & ſequitur P. Sanciſſus *dub. 38. citato n. 14.* Ratio eſt clara; quia cooperatur peccato mortali alterius, quod iuxta irrefragabilem fidei doctrinam peccatum etiam mortale eſt.

Oppoſitum fundare nititur Cardinalis Lugus.

42 Sed oppoſitum videtur tenere Cardinalis Lugo *Diſput. 4. de Inſtituta, num. 49. & 50.* dum probat ex eo quod actio ſit mala in dominante, non ſequi acceptationem etiam talem eſſe in accipiente, cum non ſit cooperatio ad illam, ſed effectus ex ea ſecutus, dum quis vitur jure ſuo; neque enim charitas vel iuſtitia poſtulat, vt quis negligat ſuum commodum, etiamſi inde ſequatur tantumdem damni reſpectu alterius, ad quem res, quæ datur, debebat peruenire. Pro quo ingenioſe diſcurrit. Non videtur autem aſſertiuè procedere, quia tantum ait non videri facile damnandos, qui oblata accipiunt: pro quorum deſenſione ſubdit rationes, quæ tamen non videntur vrgere: eò enim tendunt, vt oſtendant ibi non eſſe cooperationem: quia quidquid ad donationem ſpectat, & voluntatem, à quâ procedit, ex parte donantis ſe habet, & omnino præcedit. Non eſſe autem hoc, vt ille exiſtimat, ex eo probò: Nam quando aliquis donat, non perficitur donatio, donec alius voluntatem accipiendi manifeſtet; vnde ſi renuat, nulla eſt: poſita autem tali manifeſtatione, tunc in donante eſt actus, quo velit donationem perficere, qui eſt malus, ſicut præcedens: Atqui ad hunc actum cooperatur accipiens, quia illum præcedit voluntas accipiendi, & ad ipſum mouet: ergo eſt cooperatio manifeſta in ordine ad illum. Licet ergo ſententia dicta videatur ſpeculatiuè probabilis, ſeu pro raro aliquo caſu, quam & abſolute probabilem affirmat Diana *Tract. 6. citato Reſolut. 134.* re tamen verâ quoad communem praxim talis non eſt, cum modus donandi viſitatus ſit, quem aſſignauimus. Videantur dicta *Titulo 1. n. 146.*

Contra quem inſurgitur.

CAPVT V.

An Proreges Indici vendere officia ſine lethali culpâ poſſint.

43 **N**on agimus in caſu, quò Regis nomine venditio fiat; de hoc enim jam dictum *Titulo 1. Cap. 16.* Sed de eâ, cuius enolumentum ad Proregem ipſum ſpectat, qui ſine ſpeciali ad hoc licentiâ procedit. Circa quod

Aſſertio 1. Proreges non poſſe officia vendere.

Dico primò. Proreges nequeunt officia vendere. Sic P. Thomas Sanciſſus *lib. 2. Conſiliorum, cap. 1. dub. 38. num. 18. & dub. 56.* apud quem Paulus de Caſtro, Segura, Sotus, Molina Iuriſconſultus, Corduba, Padilla, qui generaliter loquuntur, quando alicui committitur facultas eligendi aliquem ex multis ad officium, ſeu beneficium. In ſpeciali autem de officiis publicis loquens idem tradit *Capite illo 38. num. 3.* quatenus id negat Dominis Titularibus, ſeu Vaſallorum, ſi

officia habeant iurisdictionem, ſeu iuſtitie administrationem, vt Prætorum, Tabellionum, Alguacellorum, Decurionum, ſeu Senatorum Vrbanoſum qui vulgò dicuntur *Reſtores*, quorum munus Decurionatui veteri correfpondet. Admittit autem de iis, quæ administrationem iuſtitie non concernunt, vt officia præconis, janitoris, cuſtodis carcerum, Præſti curſorum, &c. quia illorum domini non ſunt, bene tamen iſtorum: vnde quia Prætores non ſunt eorum domini, nequeunt illa vendere. Pro quo quamplures alios accumulatur. Et ex eo manifeſtè ſequitur Proreges nulla vendere officia poſſe, quia illorum domini non ſunt. Magis in ſpecie id tenet Salon *2. 2. quæſt. 62. art. 2. Controu. 8. in reſponſione ad ſecundum argumentum.* P. Ferdinandus de Mendoza in particulari Tractatu de hac quæſtione ad Comitem de Lemos Neapolitanum Proregem, cuius erat Confeſſarius, & poſtea Cuſcenſis Epifcopus in Peruuo, *Dub. 1. Diana Parte 6. Tractat. 6. Reſolut. 3. & alii.* Affirmat autem Illuſtriſſimus Mendoza doctrinam hanc adeo eſſe certam & exploratam, vt nullus illam Doctorem neget, vel de ipſa addubitet. Idem expreſſè tenet Cardinalis Lugo *Diſput. 34. de Inſtituta, num. 31.* vbi licet Proreges non exprimat, loquitur tamen de Miniſtro publico, qui diſpenſator eſt officiorum loco Principis conſtitutus, quales conſtat eſſe Proreges. Vnde immeritò pro contraria ſententia allegabitur ex doctrina quadam, quam habet, *num. 37. & de quâ inferius.* Probatur

Illius certitudo.

44 Primò. Quia Proreges, vt nomen eorum præ ſe fert, & vſus ipſe confirmat ac titulus aſſignationis, loco Regis ad gubernandum aſſumuntur, vt ſcilicet id faciant, & eo modo, quo ipſe faceret, ſi per ſe ipſum gubernaret; iis exceptis, quæ Regi aperte, aut verofimiliter reſeruantur, vt eſt manifeſtum: Atqui Rex ipſe officia non vendit, de quibus agimus, neque venderet, ſi per ſe gubernaret, vt conſtat ex eo quòd illa in Hiſpaniâ non vendat, neque de eorum venditione in Indiis vnquam cogitauit, ob propriæ vtilitatis reſpectum: ſed liberalem eſſe voluerit designationem: ergo euidentis eſt non eſſe ſuæ intentionis vt ea Proreges vendant intuitu ſuæ propriæ commoditatis. Et quidem ſi Proreges ita venderent vt lucrum Regi vellent applicari, venditio eſſet illicita ob defectum poteſtatis; ergo multò magis quando in illa ſolus auaritiæ reſpectus intercedit.

Probatio 1. quia Rex non vendit, quorū loco gubernant.

Notanda inſtantia.

45 Secundò. In venditione officii nihil habet Prorex, quod ſit ſuum: ergo licita nequit eſſe venditio. Conſequentia eſt clara; quia cum vendat nomine ſuo, & non Regis, vt vidimus, aliquid debet eſſe quod ſit ſuum, cum vendere nequeat alienum, niſi ex beneplacito domini, quod non extare jam conſtat: præter beneplacitum enim Regis, nullius alterius fingi poteſt: ad beneplacitum enim Reipublicæ nequit, niſi in ſanè, recurri: cum præſertim liqueat Reipublicæ valdè hoc pernicioſum accidere, nec ſit credibile illam in ſui pernicioſum conſentire. Antecedens autem eſt etiam manifeſtum: nam officium non eſt de Proregis dominio, quia nullius rei dominus conſtituitur ex iis, quæ ad eius munus ſpectant, niſi ſalarii pro labore circa illud, & ſolas

2. Quia in venditione nihil habet quod ſit ſuum.

Regis habet vices: præter officium autem nihil eſt, quod vendi poſſit titulo Suitariſ. Vnde qui emit, pro officio & non pro re alia pretium ſoluit. Quemadmodum cum à Rege officium emitur, illud, & non aliud, emi dicitur, neque alia eſt ementis intentio.

Actionem eligendi poſſe vendi reſponſio obuia.

Contra quam vtiliſſime arguitur.

46 Dices ex Cardinali Lugo, licet officium non ſit de dominio, & ita illud vendi nequeat, poſſe tamen vendi actionem eligendi, cuius ſunt domini ſi, ad quos electio ſpectat, & eſt vtilis ementi, vnde & pretio æſtimabilis.

Sed in primis doctrina iſta non proponitur à citato Scriptore, vt eâ debeat licita venditio cenſeri. Sed vt non inducas obligationem reſtitutionis: eſſe enim illicitam jam vidimus illum affirmare. Deinde, illa non eſt penitus admittenda: nam actio eligendi non eſt pretio æſtimabilis in genere iuſtitia, licet ad illam non teneatur eligens in particulari reſpectu huius, & ſic dici dominus illius poſſit: quod ſic oſtendo; quia ſi eſſet pretio æſtimabilis, cum res venditur, deberet valor illius cum valore rei ipſius computari, & ita pluri vendi, vt eſt manifeſtum: nam valor valori additus valorem auget: Atqui non computatur, vt conſtat ex communi vſu: nam res determinatum habent pretium independenter penitus ab hoc reſpectu: vnde etiam qui ea, quæ ſua ſunt, vendit, nequit pluri vendere ex eo quòd vni potiùs, quàm alteri vendat; ſola enim attenditur rei vtilitas, iuxta communem æſtimationem. Pone quempiam habere rem aliquam venditioni expoſitam valoris vt decem; ſi duo accedant empturi, ex eo quòd vni potiùs quàm alteri eam vendat, non poteſt pretium augere; aliàs ſi offerente vno ex iis pluſquam decem, accedat alius, & plus eo offerat, poterit eam ſic vendere, eſt ante perfectum contractum alius adueniat plus item offerens, poterit ſimiliter pluri vendi, & ſic de aliis; ex quo fiet determinatum pretium à lege vel conſuetudine non habere, atrenâ illius vtilitate. Actio ergo electionis eſt liberalis ſit, & reſpectu illius fit dominus is, qui eligit, in materia eſt amicitie aut liberalitatis, vnde debitum alterius generis illi reſpondet. Sicut modico propter pretium curanti, ſed cum ſpeciali beneuolentiâ erga infirmum, & merces debetur & gratitudo, & ſic aliis. Quæ ratio, ſicut & præcedens, videtur euidentis, vt nequeat quis ſanè ſententiis in hac luce ceſpitare.

3. Ex diſtribuitur bona ab aliquo reſtituta.

Card. Lugo reſponſio.

47 Tertio. Quando aliquis relinquit bona diſtribuenda ab alio, cui electionem eorum, quibus ſunt diſtribuenda, committit, propter actionem electionis nequit pretium aliquod accipere: ergo ſimiliter in officiis.

Dices ex Cardinali Lugo *num. 35.* voluntatem teſtatoris eſſe vt det gratis, quia bona illa in eorum gratiam & non diſtribuentis, relinquuntur; vnde ſi non dat, non ſatisfacit debito iuſtitie, cum non det aſſignatam valoris quantitatem, id enim, quod pro electione accipit, minus habet electus, & ita non impletur voluntas teſtatoris vel aliter diſponentis.

Non ſatisfacit.

48 Sed contra. Nam ibidem doctus Magiſter admittit venditionem eſſe illicitam. Prætereà, non ſit ſatis argumento; nam etiamſi teſtator dicat vt detur talis valoris quantitas, non tollitur quin actio eligendi ſit pretio æſtimabilis,

Theſauri Indici Tom. I.

cum ſit valde vtilis electo, iuxta doctrinam ejuſdem, de quâ nuper: ergo designation non obſtat quo minus aliquid pro electione accipi poſſit; vnde & ſi minus aliquid ſit habiturus, id erit conſequens ad talem modum diſpoſitionis, in quâ ſi voluerit eligens ſuo jure vt, nihil faciet contrarium diſponentis voluntati: ſi autem liberalitate vt, vt communiter ſperant teſtatores, integra quantitas tribuetur. Aliunde ergo deduci debet talis iniuſtitia diſtributionis, ex eo ſcilicet quòd pro electione nihil accipi poteſt, quòd eſt ſtatutum in *L. vnum ex familia D. de legatis 2. §. Si de Falcidia, §. 5. Sed eſt fundum,* & ita omnes ibidem Repetentes affirmant. Item, Rex etiam vult vt officia gratis ad eos deueniant, pro quorum electione conſtituit diſpenſatorem: ergo eſt eadem ratio. Antecedens oſtendo tum ex dictis, *num. 44. & 45.* tum etiam quia ſi conſtitere Proregem aliquem tale quidpiam perpetraſſe, grauiffimum crimen habetur, vnde & poena competens irrogatur: voluntas autem legiſlatoris ex poenæ irrogatione cognoſcitur, & inde eſt nundinationes iſtas occultè fieri: licet nihil occultum, quòd non reueletur: pro quo id certiffimum, quòd ſcribit illuſtriſſimus Mendoza *ſupra dub. 3.* & videri poteſt apud Dianam *Reſolut. 1.* tum circa Regis voluntatem, tum circa ſecretum, quòd rebus in iſtis accuratur. Quæ ratio etiam eſt euidentis, ſicut præcedentes.

Iuxta eandem vrgetur.

49 Dico ſecundò. Acceptum ex venditione dictâ debet in foro conſcientiæ reſtitui. Sic citati. Quòd & rationes adductæ conuincunt.

Aſſertio 2. obligatione eſſe reſtitutionis.

Dico tertio. In officiis Indiciſ ſpecialiſſima eſt ratio, vt nequeant vendi quæ ad gubernationem Indorum ſpectant, propter dicta *Titulo 1. num. 169.* Vt autem appareat non eſſe alicuius ponderis id, quòd dicitur de actione eligendi, quæ ſola vendatur, & non ipſum officium, expendendum eſt: quòd ſi illa ſola venderetur, officium ipſum daretur gratis, & ita pro actione eligendi moderatum tantum aliquid, quòd cum eâ gratuitâ donatione poſſet conſiſtere, tribueretur: Atqui non ita ſe res habet: nam pro ademptione officii dantur ingentes quantitates, vt loco citato dictum; nec minores quàm ſi officium publicè exponeretur venditioni: ergo ridiculum eſt afferre officium gratis dari, & ſolam vendi actionem electionis.

Aſſertio 3. In officiis pro Indiis ſpecialiſſimè eſſe rationem.

50 Dico quarto. Prædicta procedunt, etiamſi officia non dentur titulo venditionis, ſed quaſi liberalis cuiuſdam oblationis, aut reſpectu gratitudinis, ab iis factæ, qui ea conſequi deſiderant: nam id tantum eſt velle iniuſtitiam, & nundinationem turpem, quæ reipſa extat, honeſtiſ vmbraulis palliare. Datur pretium pro re aliter non tradendâ, quòd is, qui dat, neutiſquam aliàs largiretur, & plus præ aliis danti, quòd efficitur extorquetur. Et quid aliud vendere eſt, quid emere? Venditio quidem eſt pactio mercis pro pretio, & emptio eſt pactio pretii pro merce, iuxta *L. 1. n. de contrahendâ emptione.* Vbi mercis nomine quidquid eſt pecuniâ æſtimabile designatur, vt omnes explicant. Quòd totum in caſu noſtro cernitur: nam & pactio præcedit, & officium eſt pecuniâ æſtimabile, & pretium pro eo datur: ergo venditur, & emitur; quidquid

Aſſertio 4. non obſtare conſuetudinem titula, quo venditio palliatur.

Emptio eſt venditio quid.